



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Quanti fecerint diuitias Prophetæ & Philosophi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

mos esse *miseros*, qui *pauperes* non sint, nullum tamen vulgò *pauperem* esse posse existimant, qui non sit idem & *miser*.

II.  
Plaut. in Stich.,

Vtrumque hoc affirmatè pronunciauit Comicus, cuius hæc est sententia: *Vt cuique homini res parata est, firmi amici sunt: si res lasse labant, iidem amici collabascunt. Res amicos inuenit. Quanta igitur felicitas est in amicis sita; tanta miseria, amicis carere, qui tempore necessitatis succurrant.*

*Argentum, & anima, & sanguis est mortalibus:  
Quo qui caret, nec hoc sibi cantus parat,  
Viuos is inter mortuus homo obambulat.*

Eandem cantilenam cantat Menander in his versibus.

*Ego utiles verò Deos esse arbitror  
Nostros, & Argentum, & Aurum maximè.  
Istos quidem si dedices tua in domo,  
Quidquid voles, roges, tibi omnia aderunt,  
Ager, domus, seruiq; & argyromata,  
Tèstes, amici, iudices: tantum dato.*

Adeò potentes faciunt nummi, &, vt Aristoteles ait, *omnia vanalia nummus*. Nimirum, sicut vbique ferè *in pretio pretium est*; ita vicissim miserima res est, nihil posse, cum velis posse. Enimuerò quemadmodum homines, quæ volunt splendere, inaurant, ita

Horat. lib. 2.  
serm. 5.

*Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior algæ est.*

Quanti sanguinis vidimus viros despectos, postquam aurum perdididerunt? Cræsos, non Codros populus adorat. Quàm præclaras experimur virtutes, sub scissili palliastro, delituisse? Quot viuacissima ingenia neglecta sepeliuntur, quæ excitata fuissent, splendissentque, si habuissent Mæcænatés? Quàm irroborata est opinio, vt ferè vnusquisque tanti fiat, quantum habet. Clarè illud expressit Iuuenalis, cum diceret:

*Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,  
Tantum habet, & fidei,*

Vsq; adeò calamitosus est inops, vt, cum careat, vnde se alat, ne fidem quoque habeat, vnde acquirat.

III.  
Psal. 30. 11.

Sed relinquamus Poëtas, consulamus Prophetas, quorum vnus ait: *Infirmata est in paupertate virtus mea*. Nam super alias afflictiones accessit, vt propter inopiam vires pristinas amiserit.

Idem.

Idem enim est, *virtus mea, quod ossa mea conturbata sunt; per ossa* 1. Reg. 35. 16  
 siquidem, robur intelligimus, quod Davidem defecit, quando sine & 17.  
 ullo com meatu fugit, & ad loca deserta se recepit, non solum pe-  
 dibus, sed etiam nudis pedibus iter faciens. Quid si etiam ait, *in-*  
*firmata est, in paupertate virtus mea,* quia animi quoque robur qua-  
 titur sæpe impatientiâ paupertatis? Atrox est enim, etiam teste  
 Iobo, poena, si reges *vinciantur funibus paupertatis,* propter scelera  
 videlicet sua, *quia violenti fuerunt.* Quanto maior ærumna cense-  
 bitur, si in paupertatem incidant innocentes? Qua de causa ipsum  
 Iobum, cum *possessio eius creuisset in terra,* eumque Tartareus hostis  
 vellet facere impatientem, dixit ad Deum: *Extende paululum ma-*  
*num tuam, & tange cuncta, qua possides, nisi in faciem benedixerit tibi.*  
 Neque sanè parum fuit, vna vice, & boum armenta, & asinarum  
 cateruas, & ouium greges, & camelorum turmas, cum pueris &  
 seruis ei auferri. Menippus Phœnix, sectâ Cynicus, cum habendi  
 cupidissimus esset, amissis bonis, laqueo vitam finiuit, vt de eo te-  
 statur Laërtius. Et longè celebrior Philosophus Zeno, cum sæpe  
 nescio quem contemptum diuitiarum præ se ferret, Antigonus rex  
 ei falsò fecit nunciari, *Prædia illius ab hostibus esse direpta;* eo nuncio  
 ita percussus est, vt in magnam tristitiam ostenderet se incidisse.  
 Quod non mirum est accidisse Ethnicis, cum in Iudæa, vbi notus  
 erat Deus, paupertas maledictionis loco fuerit iudicata. *Tunc tem-*  
*porum,* ait Gabriel, *paupertas pro maledictione, & diuitiarum abun-*  
*dantia pro benedictione erat.* Hoc innuit Propheta dicens: *Beatum di-*  
*xerunt, cui hac sunt.* Et Abulensis: *Judai, inquit, putabant, quòd*  
*Messias redimeret eos, à temporali seruitute, & deduxisset regno Israël,*  
*ad prosperitatem maiorem temporalem, quam fuerat sub David, & Sa-*  
*lomone, & ceteris regibus. Propter quod plurimi Iudaorum non rece-*  
*perunt Iesum in Messiam; quia non liberavit aliquid de temporali regno;*  
*& ista erat quasi communis intentio omnium Iudaorum, tempore Chri-*  
*sti. Eadem mens est alijs plerisque, ex cortice de nucleo, ex veste*  
*de animo iudicant. Hinc illud Calphurnius lamentum edidit:*

*O utinam nobis non rustica vestis inesset,  
 Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes,  
 Nudaq; paupertas, & adunco fibula morsu  
 Obsuerant.*

A 2

Plures

1. Reg. 35. 16  
& 17.

Iob. 36. 23

Iob. 1. 10

Briton. lib. 2.  
cap. 26.

Gabr. in sup-  
plem. ad dist.  
30. q. 2. Con-  
clus. 4.  
Plal. 143.  
Abulens.  
tom. 1. in  
Matth. q. 43  
in cap. 16

Calphurn.  
Eelog. 7.